

Aduertencias para

duo dicit. Primum quod si omittantur leuia & modica, non est peccatum. Secundum si omittantur sollempnitates ipsius Matrimonij, est peccatum, si possunt adhiberi. Quapropter in nuptiis Indorum arrarum & anuli sollempnitas omittitur à Religiosis Parochi officium agentibus, & ab aliis etiam Curatis ex causis rationabilibus, & quidem sine peccato, ut patet. Ex pat. Focher ubi supra & infra, ar. 4. 2. 7. Infra verb. Matrim. inuenies modum quem Parochus debet obseruare, tum in examinandis Matrimonijs, tum etiam in celebrandis.

25 ¶ Secunda veritas. Curatus quicumque ille sit debet habere [ad debitè exercendum predicta] linguæ vel linguarum ouium suarum sufficientem saltem notitiam, peritiam, & usum in qua videlicet lingua Sacramentorum effectum & virtutem manifestare, & verbum Dei suis ouibus valeat predicare, & non sufficit per interpretem hæc prestare. Probatum ex Concilio Triden. Sess. 7. cap. 3. ubi mandatur quod Ecclesiastica beneficia prefertim curam animarum habentia personis dignis, & habitibus, & que in loco resideant debent committi & quod per se ipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri. 3. in

Late